



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XIV. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Nicasius viginti dies natus, à Matre ad altare Deiparæ delatus, infantili linguâ in vocem resolutâ *Ave Maria* recitavit; nec dein totâ vitâ lingularem ejusdem cultum intermisit, maxime cum voce cœlesti ad monitus est, ut Basilicam Matrî viventium fundaret. *Nad. an. Cœl.* Amor in Mariam signum est vitæ.

S. Nicasii ora pro me Deiparam, ut liberet animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa, ut linguam meam ejus laudibus impendam, sicq; merear ab illa defendi contra illos, qui animæ meæ nunc, & maxime in vitæ, termino, insidiabuntur. *O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.*

Ad quod impetrandum: In memoriam instantis illius, quo Deipara sine macula concepta fuit, & dein 9. mensibus in utero requievit, novies *Ave Maria* recitabo.

Omnes mortui sunt peccatis, nemine prorsus excepto, demptâ Matre Dei, sive de originalib⁹, sive voluntate additis. *S. Ans. Comment. ad Cor.*

Quæstio: An Deipara fuerit prædestinata ante omnes alias creaturas?

XV. DECEMBRIS.

B. Victoria Cœlestinarum Monialium fundatrix, semper insignem erga Deiparam amorem alebat. Pollicita eidem est Deipara, se nullo loco ei defuturam. Ordinem à se conditum Virginis annunciatae dici voluit. Bis quotidie coram ejus icone prostrata oravit. *Fasti Mar.* Dulcis hora, & semper brevis est mora loqui cum amata. B. Vi-